



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

6. Dies Maii. Ubi me relinquo, ibi me invenio, & ubi me quæro, ibi me perdo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

6. DIES MAIL.

Ubi me relinquo, ibi me invenio, & ubi me
quæro, ibi me perdo. *Thomas à Kempis*
de mortif. vita.

Sensuali- I. **I**nchoatum prius argumentum
tas quam prosequor, & amorem sui intem-
noxia. perantem persequor. Nullus est
magis perditus, quàm qui se perdit. De illo meritò
dixeris: (a) *Perditio tua ex te.* Audi, & quod autuma-
bis paradoxum, reperies esse pronuntiatum hetero-
doxum. Se quærere, est se perdere. Quæris unde hoc!
Quia qui se quærit, hoc est, in omnibus corpori suo
indulget, bona animi emulget. Et hoc est se, imò &
sua seriò perdere: si sapias, tu pluris esse debes tibi,
quàm quidvis tuum: igitur & plus quàm corpus. Cadaver
potius es hominis, quàm homo, quia plus vivis cor-
pori, quàm animo. Hinc unum est ad perfectionem,
imò & salutem consequendam necessarium, in hac
vita mortali, sibi mori. Eodém momento quo moreris
(ut loquar cum Asceticis) vita sensuali, vivis vita spi-
rituali. Hinc perfecta mors vitæ sensualis, est perfe-
ctio vitæ spiritualis. Ut sic moriaris, ad hoc opus est
omne conferas operam, ut sic attendas, & ad hoc toto
nisu contendas, ut nullus sit vel in corpore, vel in ani-
mo motus, qui non dirigatur ad Deum, qui est omnium
agendorum scopus. Ut sic te intra gyrum temperantiæ
contineas, ut ab omni voluptate, vel modicè intēpe-

Y 4

ranti

(a) *Osea 13. 9.*

tanti abstineas, ut molestiam omnem in hoc agone ferendam fortiter sustineas.

II. Quapropter debes ad agendum duci solo gratiæ spiritu, nunquam naturæ impetu. Si hujus proclivitate te sinas à virtutis tramite abduci, sine te seduci. Tibi graviter imponis, si ad illius normam vitam componas. Comprimere, ne latius evagetur, omnes sensus, & renuntiare voluptatibus sensuum, hoc demum est mori vitam sensuali. Illud tibi sit certum, uti Dei decreto statutum est, ut corpus non adeat gloriam in cælis, nec fruatur immortalis vita, nisi prius in terris obitâ morte; sic & statutum est, ut nemo evehatur ad perfectionem vitæ spiritualis, nisi à morte vitæ sensualis. Et hoc tam Deo est firmum, & ratum, ut citius exempturus sit Deus aliquem lege mortis corporalis, ut sine ea illum transferat ad vitam perennis gloriæ, quàm ut absque morte vitæ sensualis, quis gradum faciat ad vitam spirituales. Expeditiùs enim est, ut corpus vitam viventem naturalem, sine morte transeat ad vitam gloriosam, quàm ut quis à vita sensuali transeat ad spirituales, non prius sibi, & sensibus suis mortuus; cum tam tibi repugnent vita spiritualis & sensualis, quàm virtus & vitium, vita & mors, esse & non esse. Dicigitur audacter ad Deum conversus, iisdem quidem cum Moysè verbis, sed alio verborum sensu. (a) *Obsecro Domine, ut interficias me*, eo modo ut ipse mihi moriar, quo non vivam amplius nisi à gratia tua, à spiritu tuo.

III. Quid times odium tui? quid ambis amorem tui? Nunquid inestimabile est lucrum in odio tui, Amor Dei? Sarius est, ut Deus te ardentissime

(a) Num. 2.

Majus.
oc agone

duci solo

Si hujus
i, fines te

norman
s evagen

tibus fer

Illud tibi

ut corpus

immortal

statuto

e spiritu

Deo est b

Deus ab

am trans

que mor

tam ipse

am vive

rioriam

rituale

um tam

am virtu

Dicigit

dem cum

Obsec

mihim

a, à sp

bis amo

n in ocl

entissim

ame

amem, quàm ut tu ipse te tanto damno tui ames. De-
indè, hilarior est amor Dei quàm proprius, itaque &
vita hominis sibi morientis propter Deum, erit hila-
rior quàm sibi viventis. Non tantùm tu Deo, sed tibi
vivit Deus, si tibi moriaris propter Deum. Quid,
quod ut evadas omnes misérias, necesse est præ om-
nibus te animæ tuæ misereat? Illa quasi vertitur tota
in corpus, dum nimis obsequeris corpori, & avidè
sequeris quæ arrident corpori. Quantum porrò in-
verit inter duos illos, quorum unus sui osor, alter sui
cultor, quidam expressit duobus epitaphiis, duorum
vitæ sibi maximè dissimilium, Henrici Octavi, An-
glia Regis, & Thomæ Mori, quorum hic sic vivebat
in corpore, quasi secretus à contagione corporis: al-
ter abdomini, & veneri deditus, totusque carni, &
sanguini immerfus, non videbatur alius, quàm moles
corporea, sic ut anima ejus videretur tota conversa
in corpus. Epitaphia duobus brevissimis metris
contexta, sic se habent

Epitaphium Henrici VIII. Epitaph. Thomæ Mori.
Hic totus Henricus jacet. Viator, hic Mori est nihil.

7. DIES MAII.

Honestum ei, vile est, cui corpus nimis ca-
rum est. *Seneca Epist. 14.*

Corpori I. **N**unc stringo gladium in ho-
stem domesticum, qui pe-
renne indicit animo bellum,
canitque noctes, ac dies bellicum,

Y s

an